GUILELMUS PERALDUS. HUGO DE SANCTO VICTORE. HUGO DE FOLIETO. SMARAGDUS. PETRUS DAMIANUS

Österreich (?), 1435 Seite 31r

Quelle: https://manuscripta.at/?ID=40507
Copyright: Melk, Benediktinerstift



Sen. Fundamentum bone mentis est non gaudere vanis. Fundamentum hoc esse dixi culmen. Ad summa pervenit. qui scit quo gaudeat. qui felicitatem suam in aliena potestate non posuit. Sed id gal. v. fructus spiritus sunt caritas gaudium etc. dicit glo. i. elatio animi de hiis que digna sunt. Gaudium mundi est de indignis. Sen. In voluptate nichil est magnificum nichil quod naturam deo proximam deceat. membrorum vilium et turpium ministerio veniens exitu feda. De bonis internis debemus gaudere. Sen. Tibi nunquam volo deesse leticiam. Solo tibi illam dominasci. si dominasci. sed intra te ipsum sit. Iob. Concl. ca ista que extrinsecus splendent. et de tuo gaude. Quid est autem de tuo? de te ipso. de tui optima parte. Idem. Improbe voluptates non sunt solide. non sunt fideles. etiam si non nocent fugiunt. Potius aliquod bonum mansurum circumspice. Sola virtus prestat gaudium perpetuum et securum. De eternis etiam gaudere debemus. Mt. v. Gaudete et exultate. quoniam merces vestra copiosa est in celis. Luc. x. In hoc nolite gaudere quia spiritus subiciuntur vobis. gaudete autem quia nomina vestra scripta sunt in celis. Ad ordinationem concupiscibilis quantum ad actum diligendi pertinet. ut in proximo diligatur quod diligendum est. et non diligatur quod diligendum non est. id est. ut diligatur proximus propter id propter quod diligendus est. et ad id ad quod diligendus est. Diligenda est proximi persona. et non sunt diligenda eius vicia. Aug. in li. de doctrina xpiana. Omnis peccator in quantum peccator non est diligendus. Idem. Sic diligendi sunt homines. ut vicia eorum non diligantur. Propter deum diligendus est proximus. Aug. in li. de trinitate. Amanda est creatura. Sed si ad creatorem amor refertur non iam cupiditas sed caritas erit. Idem in li. conf. Pene minus te amat. qui aliquid preter te amat. quod non propter te amat. Diligendus est proximus ad gratiam in presenti et gloriam in futuro. Aug. in li. de doctrina xpiana. Quisquis recte diligit proximum. hoc cum eo debet agere. ut ipse etiam toto corde. tota anima. tota mente diligat deum. Item ad ordinationem dilectionis pertinet. ut illi amplius diligantur qui amplius diligendi sunt. et ut eorum non diligantur quo diligendi sunt. amplius boni quam mali. et meliores et ecclesie utiliores quam minus boni

vel minus utiles. et propinqui et beneficii plus amandi sunt quam qui tales non sunt. Amandi sunt boni tanquam dei filii. Ro. viii. Quicumque spiritu dei aguntur hii filii dei sunt. Ambr. Domestici si boni sunt mali filiis preponendi sunt. Ad modum diligendi pertinet. ut proximus citra deum ametur. et super res temporales. Item ut ametur affectu et effectu. Effectus tamen alii ex causa suspendi. Aug. Caritas non intermittatur. officia pro tempore exhibeantur. In firmioribus effectus dilectionis potius exhibendus est. Aug. Caritas que tanquam nutrix fovet filios suos. non ordine amandi sed ordine subveniendi infirmos fortioribus anteponit. quos tales vult esse quales iam illi sunt. quos non contempnendo sed de illis confidendo interim preterit. Amare debemus in proximo sicut et in nobis plus animam quam corpus. Greg. Cum recte diligimus. nichil in rebus conditis anima nostra carius habemus. Inter illos qui in religione sunt tanquam homines spirituales non carnalis sed spiritualis debet esse dilectio. Spiritualis inquam et originaliter et finaliter: ut sic a spiritu procedat. et ad spiritus utilitatem tendat. Carnalis est dilectio originaliter. cum aliquis propter pulchritudinem corporis vel aliquod simile amatur. Finaliter vero dilectio est carnalis. cum aliquis ei quem amat quod secundum carnem utile est procurat. et de spirituali profectu eius non curat. Maxime intentendum est ordinationi amoris. cum secundum aug. li. xv. de ci. dei diffinitio boni et vera virtutis sit ordo amoris.

Ad ordinationem etiam concupiscibilis pertinet. ut fastidium boni spiritualis caveatur. et vana consolatio respuatur. Specialiter cavendum est fastidium in doctrina sacra et divino officio. Contingit autem fastidium boni spiritualis alii ex ignorantia valoris bonorum spiritualium. Sicut n. porci species aromaticas vel margaritas non reputant. sic homines animales spiritualia bona despiciunt. Prov. i. Sapientiam atque doctrinam stulti despiciunt. Bernardus super cantica. Quomodo lux in cassum circumfundit oculos cecos et clausos. sic animalis homo non percipit ea que dei sunt. Mt. vii. Neque mittatis margaritas ante porcos. ne forte conculcent eas pedibus suis. Aliquando accidit